

Vir Clarissime. Litterae tuae redditae mihi sunt die sexta Martii: et liber, cujus ad te folia mitti petis, jam ante tres hebdomadas typis excusus, vendebatur in Urbe: itaque frustra mitterentur folia praesertim cum Antverpiae ad haeredes Plantini folia missa sint, cum excuderentur, et credibile sit, jam Antverpiae librum esse recusum. Quod ad Controversias attinet; valde optarem, ut bene correctae prodirent, quod vix certe sperare audeo. Liber enim de Scriptoribus Ecclesiasticis, cum parva Chronologia, satis inemendatus isthic prodiit, et nuper in eadem vestra civitate Colonia editae sunt Latinae Conciones meae, quas olim Lovanii in Belgio habueram, sed tam depravatae, et in locis innumerabilibus corruptae; ut qui praefuit proelo, videatur nec litteras scire nec judicio ullo polle-
re, et me vehementer pudeat ejus editionis. Profecto valde male merentur de Republica Christiana: et non sine ingenti crimine divendunt libros ejusmodi typographi. Si enim Isaias acriter reprehendit eos, qui vendunt vinum mixtum aqua; quanto majori reprehensione digni sunt, qui vendunt admixtam erroribus veritatem. Interim habeo ingentes gratias D. Tuae de animo tam egregie erga me propenso, et ego vicissim precor a Deo tibi, tuisque omnibus, felicitatem temporariam, et sempiternam. Romae die 7. Martii 1615.

Epist. famil. CXVIII.